

F

11. 75



B. 442^b




12.13

74

1/1 —






2.

LEGES
VNIVERSITATIS
ALTORFINAE
NORIMBERGENSIVM
QVIBVS
RECENS ADVENIENTES
STVDIOSI
IVREIVRANDO
ADSTRINGVNTVR.



*Hæc leges denũo latæ sunt et
auctæ 1724 m. Novembri.*



LEX I.



Studiosi ad hanc nostram Vniversitatem accedentes, in timore Domini vitam Academicam inchoanto, eandemque ad sapientiam & eruditionem acquirendam, ad gloriam DEI, suam aliorumque felicitatem promovendam, piis precibus, sancta, ut Christianos decet, vita, debitaque industria, dirigunt; auxilium & gubernationem atque etiam benedictionem laborum in studiis, ab eo, qui est omnis sapientiae fons, ardentibus votis petunt, & tandem expectant.

II. Eundem in finem non privata tantum opera thesauros divinae sapientiae, sacra Biblia sedulo evolvunt, sed publico etiam supremi Numinis cultui, sacris concionibus, & S. Coenae frequenter intersunt, atque a discursationibus & obambulationibus in templo ejusque coemeterio, dum res divina in templo peragitur, aliisque divinis factisque, quibus suam testarentur impietatem, aliisque scandalo essent, nisi poenas gravissimas incurrere velint, abstinendo.

III. Quisquis autem in hac Vniversitate vivere, & studiorum gratia commorari decrevit, is intra triduum omnino Rectorem accedito, nomen in matriculam referendum dato, jusjurandum solenne praestato, & pretium pro inscriptione numerato. Nec in oppido sine Magistratu vagator. Hoc nisi fecerit, Praefectus & Magistratus oppidi suum jus contra illum exequentur.

IV. De hujus Vniversitatis Fundatoribus, Sacra Caesarea Majestate, Senatu Norimbergensi, Curatoribus, itemque Rectore & Senatu Academico (iis praesertim, quibus religione jurisjurandi obstricti sunt) reverenter sentiunt, & honorem debitum Eis, quoties fert occasio, exhibent.

V. Qui

V. Qui ritu Depositionis alibi functi non sunt, eo ante inscriptionem heic defunguntor, aut pretium pro eo solvunt. Ad absolutionem, quam vocant, a Beasismo, Decanus Facultatis Philosophicæ adhibetor, nec alii se ingerunt.

VI. In aliis Vniversitatibus, præsertim in Lipsiensi, Jenensi, Halensi, publice relegati, in hac Musarum sede non tolerantor.

VII. Studiosi, & frequentando publicas privatasque lectiones, & privata industria, nomen suum & privilegia tuentor, atque, cuiusque studiorum generi inprimis addicti sint, Philosophiam, Philologiam, & Historiam, prout cujusque scopo conveniunt, excolunt: qui studia omnino negligunt, e Studiosorum numero excluduntor.

VIII. Exercitiis Disputationum & Declamationum creberrime adsunt, & privatim de materiis utilibus inter se conferunt, utque ad exercendum stylum sibi interdum liceat orationes publice recitare, quas aut Decanus Facultatis Philosophicæ, aut Professor Eloquentiæ inspiciat & corrigat, ab alterutro eorum impetrant.

IX. Hospitiis suis, quorum utuntur domiciliis, habitationibus, convictu, & aliis commoditatibus, non ægre faciunt, nec tranquillitatem domesticam, apertis nocturno tempore ædibus, comessationibus, & aliis rebus quietem turbantibus, infestant, sed memores legum hospitii, se honeste gerunt, & animi grati significationem præ se ferunt, & re ipsa ostendunt.

X. Nemo pacem publicam privatamve tumultuando, clamoribus seditiosis, & factionibus concitandis (quibus molestia bonis & legum observatoribus creatur) turbato, nec auctores turbarum quibuscunque modis, vel verbis vel factis, juvato. Sive interdiu sive noctu vagantes in plateis & tumultum concitantes ad pœnam carceris aut gravioris multæ vocantor.

XI. Qui in publicas privatasque ædes, sive diurno sive nocturno tempore, impetum fecerint, easque tumultu ac lapidatione disturbaverint, publice relegantor. Graviori pœna, pro modo admissi statuenda, Illustris Senatus Norimbergensis arbitrio reservata.

XII. Ab injuriis verbalibus & realibus, earundemque vindicta, quæ Magistratui legitimo unice competit, atque ab omnibus duellis aliisque certaminibus sanguinolentis, penitus abstinento.

XIII. Qui gestibus aut verbis contumeliosis, aut libellis famosis, alterum lacefferit, non solum ad Palinodiam & Deprecationem compellitor, sed etiam per xiv. dies carceris pœna multator.

XIV. In-

XIV. Injuria atrocior, nominatim alapa, post deprecationem, relegatione privata; comminatio baculo vel scutica facta, post deprecationem, publica relegatione; ipsa autem verbera armis hisce fordidis inflicta, sine ullo respectu ad prætendentem, quasi ad ultionem hanc irritatus ac laceffitus fuerit, diuturniore carcere in turri; aggressio autem nihil tale opinanti fuisse aut gladio a tergo facta, ergastulo Norimbergensi atque relegatione cum infamia vindicantur.

XV. Quando plures inter se conspirantes aliquem violenter fuerint aggressi, singuli deprecantur, & post graviores carceris pœnam publice relegantur.

XVI. Quicumque in his casibus palinodiam & deprecationem recusaverint, contumaciæ pœnam luunt, palinodia autem & deprecatio ipso jure pro factis habentur; illi autem, qui commilitoni, ob injuriam sibi illatam coram Magistratu legitime disceptanti, id exprobraverint, eumque ideo pro minus honesto inter se habere ausi fuerint, eandem pœnam, quam injuriæ autor meruit, subeunt.

XVII. Indicto duello, quamvis confictus ipse subsecutus non fuerit, provocans per quatuor menses ita carcere tenetur, ut per priorem mensem aqua solum & pane nutriatur, nec ab ullo ibidem visitetur, (quam graviores carceris pœnam appellamus) deinde in perpetuum relegatur; provocatus autem, si non in tempore denunciaret Reçtori factam provocationem, aut eam saltem dissimulet, per duas hebdomadas carceri includitur.

XVIII. Si qui vero ipso privato certamine arma conseruerint, infamia notati, deletisque ex tabulis Academicis ipsorum nominibus, ab hac aliisque fœderatis Academiis excluduntur, & pro qualitate circumstantiarum per annum tempus in ergastulo Norimbergensi detinebuntur. Si vero rei forte elapsi fuerint, aliæ rationes inibuntur, ut se honore atque existimatione mulctatos sentiant, & hujusmodi causa ad Magistratum cujusque patrium publica auctoritate deferretur, justaque facinoris vindicta exposcetur.

XIX. Sicubi in duello, quod DEVS avertat! cædes perpetrata fuerit, homicida sine omni respectu ac discrimine personarum, additis aliis infamiæ notis, capite plectetur; cæsus vero caninam habebit sepulturam. Quodsi homicida excesserit, eruperitque, eæ omnes pœnæ, quæ proxime antecedente lege elabentibus decretæ sunt, cumulatus tunc exigentur, & vel in absentem a carnifice infamiæ signa edentur.

XX. Qui-

XX. Quicumque operam & consilium conferunt, vel ad provocandum, vel ad amicum in arena iuvandum, eandem, quam provocantes, pœnam, lege xvii. decretam luent. Quin nec ii, qui spectatores pugnae fuerunt, nec eam, quantum in se fuit, impedierunt, aut in tempore denunciarunt, a graviore carceris pœna, per octo dies, immunes erunt.

XXI. Cum aliquando accidat, ut ex composito, per prætexitum subitanæ aggressionis, duella, seu singulares pugnae, dissimulentur; tunc utraque pars, nisi iurejurando se purgaverit, pœnam duello decertantibus lege xviii. determinatam dabit.

XXII. Si constiterit, utique absque compacto atque conditione aliquos, iræ impetu percitos, arma mutua conseruisse; nihilominus in auctores rixæ graviora exempla edentur, & ab iis, qui in moderamine inculpatæ tutelæ modum exceßerint, gravior carceris pœna per quatuor hebdomadas repetetur. Quod si in huiusmodi concertatione ex subito iræ furore orta homicidium commissum fuerit, quod DEVS averruncet! superstes etiam capitis periculum incurret.

XXIII. Non, nisi consentientibus parentibus & curatoribus, sub quorum sunt potestate, & quibus obsequium ac reverentiam debent, Studiosi matrimonia contrahunt; clandestina sponsalia, atque extraneæ copulationes, etiam majorennium, sine exceptione omnia irrita & nulla sunt. Ipsi autem huiusmodi contrahentes, & quicumque clandestinas desponsationes promovent, severe, ex antiquo Illustris Senatus Norimbergensis Decreto, puniuntur.

XXIV. Omnes vagas libidines & commixtiones in Legibus divinis prohibitas vitant, & ab eis toti abhorrento.

XXV. Cum ab alia pravitate, vitiorumque turpitudine, tum præsertim a mendacio atque furto, Studiosi immunes integrique sunt, nec quempiam in mutuis, commodatis, aliisque contractibus, defraudant, vel quacunque impostura decipiunt.

XXVI. Res alienas, libros, vestes, aliaque, neque vi, neque dolo involant, (quod quandoque leviculi homines pro re ludicra habere solent) nec vel hortos vel agros depopulant, nec in piscinas vel fluvios ob capturam piscium temere irruunt, nec sine consensu Præfecti huius oppidi ad aucupia & venationes in Altorfino territorio egrediuntur, multo minus in vicinas ditiones venandi causa excurrere audento.

XXVII. Æs



XXVII. Æs alienum temere ne conflanto, quicquid Professoribus, hospitibus, typographis, opificibus, aliisve legitimo titulo debent, tempestive, & secundum mandata, debitorum causa peculiariter promulgata, persolvunto, nec supra modum suarum facultatum sumtus faciunto.

XXVIII. Ab intempestivis, immoderatis, five nocturnis five diurnis, maxime vero penalissticis computationibus, neque minus a conviviis, quæ vel accessus vel gratitudinis erga opposites titulo institui consueverunt, omnino abstinento, neque ludis multum alex fraudisque continentibus, & tempus ac pecuniam consumentibus, indulgento.

XXIX. Qui rationibus & argumentis convicti, & legitimo iudicio ad pœnam aliquam sustinendam a Senatu Vniuersitatis condemnati sunt, si parere recusent, perjuri & infames habentor.

XXX. Si quis ex arresto, quo, causa cognita, constrictus fuit, sine consensu Rectoris discesserit, eandem pœnam infamiæ & perjurii subito, atque Magistratui patriæ ipsius crimen æque ac pœna notificator.

XXXI. Studiosus, five fuerit actor, five reus, apud Rectorem & Senatum Academicum solus & inermis; cui autem opera & consilio alieno utendum est, uno atque altero comite adscito, compareat, nec factionibus se munito.

XXXII. Bombardas maiores minoresve, five festo, five quocunque alio die, five nocturno, five diurno tempore, explodere, ignes missiles ejaculari, accensis facibus, sine speciali concessione, per plateas obambulare, eademque, vel potius reliquias ipsarum, acervatim comburere, ob incendiû periculum, intra oppidum non audento, multo potius faces illico magna sollicitudine in plateis extingvunto.

XXXIII. In actibus congressibusque publicis, nuptiis & conviviis, modestiæ, temperantiæ, & honori reverentiæque erga hospites, studento; si non fuerint invitati, choreis se non ingerunto, atque in spectaculis publicis, loci aliorumque spectatorum ratione habita, a fumo Tabaci aliisque indecoris commoditatibus abstinento.

XXXIV. In vestitu etiam decori Leges observanto, atque in primis tunicis prolixioribus commoditati privati in cubiculo destinatis (Schlaf-Röcke dictis) amicti, in publico non comparento.

Qui

Qui intra oppidum ita vestitus per plateas, durante adhuc die (quem ad illud usque campanæ signum, quo dato portæ clauduntur, extensum volumus) incedet, quinque florenis; qui extra oppidum hoc amictu ambulare non dubitabit, decem florenis mulctator.

XXXV. Sine venia a Rectore impetrata ad computationes suas tubicines fidicinesque non accersant, conducantque, neque iis comitati, sine indultu Rectoris, plateas & forum oppidi obeant: multo minus tympanis, cornibus veredariorum, lyris, utriculis, aliisque instrumentis musicis, rusticos magis, quam Studiosos decentibus, utantur.

XXXVI. Ab indecoris effusionibus in plateas abstinento, atque sciunto, damni hinc illati reparationem a transgressoribus legis hujus gravissime exactum iri.

XXXVII. Canes majores, a quibus hominibus animalibusque aliis multum imminet periculi, alere non audento.

XXXVIII. Si qui hyberno tempore per nives trahis vectantur, in aream Collegii (dum lectiones habentur) & templi (dum sacra peraguntur) ne introrumpunto.

XXXIX. Studiosorum famuli a Dominis suis ad Notarium Vniversitatis diriguntor, ibique in peculiarem librum inscribuntor.

P. P. D. XXXI, OCTOBR. MDCCXXIV.



FORMVLA IVRAMENTI STVDIOSORVM.

I.

EGO N. N. sancte juro , me Magnifico Domino Reſtori hujus Vniuerſitatis , ceterisque ejusdem Dominis Profefſoribus ac Legibus Academicis , obſequium & honorem debitum præſtiturum.

II. Cum omnibus Vniuerſitatis membris oppidique civibus pacem culturum , a pennialifimo ſub pœna relegationis abſtenturum , & quæ ad ejus abolitionem ab **ILLVSTRI SENATV REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS** & Magnifico **DN. RECTORE** atque **SENATV ACADEMICO** ſerio decreta ſunt , omni ſtudio obſervaturum , offenſum & injuria affectum , eandem nec per me , nec per alium , vindicaturum ; ſed jus meum apud eundem Magiſtratum Vniuerſitatis perſecuturum.

III. Lectiones publicas auditorum.

IV. Vocatum per Pedellum ad **Dn. Rectorem** & **Senatum Academicum** , conſtituto tempore & loco compariturum , veritatem pro ſcientia & conſcientia ſine partium ſtudio dicturum , convictumque de re aliqua , injuſte a me perpetrata , pœnas indiſctas perſoluturum.

V. Vniuerſitatis hujus commoda pro virili procuraturum , gratumque inprimis animum erga **Fundatorem illius** , **ILLVSTREM SENATVM NORIMBERGENSEM** , occasione præbita declaraturum.

VI. Denique inſcio **Rectore** , & ſine conſenſu **Creditorum meorum** , quibus dare vel facere aliquid obligatus ero , ex Vniuerſitate iſta non diſceſſurum , multoque minus arreſto denunciato , abiturum , aut illud violaturum.

Ita me **DEVS** adjuvet !

Gb 580

8

NT


ULB Halle 3
008 589 925



WMA
VD18

h. t.





Baier

Nachrichte

von

Bayern

ist

in Bayern

in

Bayern

in

Bayern



LEGES VNIVERSITATIS ALTORFINAE

NORIMBERGENSIVM

QVIBVS

REGENS ADVENIENTES

SI

ANDO

TVR.



*sunt et
ovembri.*

